



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 130. Navarræ Rex Hispaniæ Reginam ad Maritum suum deducere
jussus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

propter haud temere verebatur, ne Philippus II. residuam Regni partem sibi vendicare quæreret, innixus declarationi, quam Francisci II. nomine Regina Mater, ac Principes Guisii promulgabant, qui ipsimet, postquam a Navarræ Rege serio discessum parari intellexerant, veriti, ne rursus sententiam mutaret, illum in suo proposito firmare toto studio nitebantur, Regi suggerentes, quod Hispaniæ Reginam ad Regem Maritum suum conducendi Provinciam Navarrensi committere vellet.

§. CXXX.

Navarræ Rex Hispaniæ Reginam ad Maritum suum deducere iussus.

Itaque Navarræ Rex oblatam Reginam in Hispaniam deducendi occasionem acceptans itineri sese accingebat, eumque comitabantur Borbonius Cardinalis, ac Princeps de Rupibus ad Yonem. Vix Navarrensis ad Abbatiam Roncevallensem in Navarrensi ditione sitam pervenerat, cum Reginam Philippi Deputatis, qui erant Burgensis Cardinalis, ac Infantadensis Dux, illico traderet. Interea Regina Francisci II. Mater Condæum Principem Navarrici Regis fratrem ab aula saltem ad tempus removendi obtentum jamjam excogitaverat; huic enim negotium dabat, ut ad Hispaniæ

Sæc. XVI.

A.C. 1559.

*Thuan. l. c.
Belcar.com.
l. 28. n. 33.*

Sæcul. XVI.
A.C. 1559. spaniæ Regem in Flandriam contendere, ibidem pacis fœdus firmaturus, quod tum Cameraci pro obtinenda pace, ac pro amicitia inter utrumque Regnum stabilienda initum fuit: insuper eidem Regina injunxerat, ut Ordinis S. Michaelis insigne ad Philippum deferret, cum hic idem Princeps vicissim aurei velleris Torquem Galliarum Regi submisisset.

§. CXXXI.

Varicæ in aula innovationes.

Thuan. l. c. Postquam Regina, ac Guisii Principes omnes illos, qui eis in Regni administratione obsistere possent, hac ratione amovissent, primas eo curas intendebant, ut eorum loco alios Proceres sibi plene addictos subrogarent: præprimis vero absente Condæo Principe Roma evocabatur Cardinalis Turnonius, qui cum ampliori auctoritate, ac antea possederat, Consiliariis associabatur: Picardiæ autem administratio Colinio Architalasso adempta fuit, eo obtentu, quod jamjam Francicæ Pen-Insulæ præfecturam obtinisset: ea igitur dignitas Brissaco Marescallo attribuebatur, licet Henricus II. eam Condæo Principi promisisset: Insuper Santandreas Marescallus, cognomine Jacobus Albonus, qui ob nimiam, qua apud Henricum Regem

gem